

verba Job xxvii: *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum*, dicit corpora sanctorum comparari auro propter claritatem, vitro propter transparentiam: « Patebit, inquit, corporalibus oculis ipsa etiam corporis humani harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicibilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicibilis sibi. » Et Augustinus xxii de civitate, capite ultimo: « Omnes, inquit, illi qui nunc latent corporalis harmoniæ numeri, tunc non latebunt intrinsecus, et extrinsecus; » quod sine transparentia esse non potest. Idem sumitur ex Anselmo in elucidario. Estque communior inter scholasticos sententia, licet aliqui oppositum teneant, pro qua sententia citatur Scotus, Durandus, Bonaventura et alii apud Ægidium iii tomo, lib. v, q. iv, art. i.

LII. Denique corpora beatorum lucem habitura sunt, quæ sit vera lux illuminans, et radios emittens, non solum nitor, aut transparentia. Hanc enim lucem simpliciter tribuit Scriptura corporibus beatis, et in Christi corpore visa fuit, sicque videtur semper intellecta ab Ecclesia, nec potest salva fide ad impropiam lucem, et non veram detorqueri. Dicitur enim: *Quod fulgebunt justi sicut sol*: Matth. xiii: *Et sicut splendor firmamenti*: Daniel. xii: *Et tamquam scintillæ ignis*: Sapient. iii: *Et sicut luna et stellæ*: i ad Corinth. xv: *Alia claritas lunæ, et stellarum, sic erit in resurrectione, etc.* De corpore Christi constat fuisse ejus splendorem supra splendorem Solis, cum apparuit Paulo, Actorum xxvi, et cum apparuit Joanni Apocalyps. i, et cum transfiguratus est ad demonstrandam claritatem futuram in regno Dei, Matth. xvii. Quæ omnia demonstrant lucem futuram in corporibus beatorum, tamquam in luminosis, et emittentibus radios, non solum ut in illuminatis, et reci-

piantibus illos, quia facies Christi Domini dicitur resplenduisse sicut sol, et justi dicuntur refulgere sicut sol; sol autem non est corpus illuminatum, sed luminosum. Et quia corpora transparentia sunt, non erit lux illa in sola superficie corporis, sed intra totum corpus, quia etiam partes corporis internæ sunt capaces lucis, sicut cum illuminatur crystallum, et sicut luna cum illuminatur a sole, licet illa opacitatem aliquam habeat, qua tegit solem, ut cum eclipsatur sol, et sic non totam permeat lux: vel saltem diaphaneitas ejus non est totaliter perfecta, sed ita conglomerata, ut aliquo modo obscuret, sicut multitudo aquarum obscuram facit apparentiam in profundo. In transfiguratione autem Christi dicit D. Thomas, quod claritas fuit solum circa superficiem, seu extremitatem, quia corpus non est factum transparentia, sed transfiguratum, quasi in externa figura immutatum, v part. quæst. xlv, art. i ad secundum.

An vero lux ista beatorum sit ejusdem speciei cum nostra luce, S. Thomas affirmative respondet in citata quæstione lxxxv, artic. ii, præsertim ad primum, et cum illo multi consentiunt. Alii D. Thomæ refragantur, de quo videri potest pater Suarez ii tomo ad tertiam partem. disputation. xxxii, section. i, et disputat. xlviii, section. ii, et Ægidius supra citatus articul. v, et alii quos citat. Et qui hanc secundam sententiam sequuntur, præsertim Ægidius, tenent hanc lucem, licet corporea sit in sua specie, et substantia, esse supernaturalem, non vero naturalis ordinis.

LIII. In hac re, cum rerum species, et quidditates non possimus in hac vita oculatim discernere, et a priori solum conjecturis utimur, et communioribus hominum conceptibus, qui ex effectibus, et signis exterioribus

ribus rerum species discriminant. Et tamen adhuc ista conjectatio, nec facilis est, nec omnino infallibilis: nam aliquando videmus plura variari accidentia sine variatione speciei, ut in specie humana videmus aliquos tot accidentibus ab aliis discerni, quantis vix differunt res specie diversæ: differunt enim plures homines ab aliis colore, figura, lineamentis, parvitate, tarditate, celeritate ingenii, et aliis sexcentis modis, et tamen quia regulamus speciem humanam penes præcipuum actum, qui est discurrere, hoc stante judicamus illam varietatem esse accidentalem, non specificam. Similiter albedo potest multis modis recipere diversitatem, et tamen quia præcipua illius ratio est tali modo movere visum, quod disgreget, et non congreget, dicimus omnem albedinem esse unam speciem, licet variis accidentalibus differentiis sit respersa. Qui autem volet dicere humanam naturam esse speciem subalternam, diversas species atomas habere posse, quæ illis variis accidentibus manifestantur, et in natura albedinis diversas esse species albedinis; is quidem difficile convinceretur, sed contemneretur potius, quia nihil certi relinqueret etiam juxta communem modum concipiendi, quod de speciebus rerum possemus statuere, sed ex quacumque diversitate poterit quis specificas differentias variare.

LIV. Igitur D. Thomas lucem illam corporis gloriosi ejusdem speciei facit cum nostra, quia tam nostra, quam illa eodem modo immutat visum, licet illa sit excellentior in intensione, suavitate, et demulcentia, aliisque accidentibus, sicut quælibet albedo, imo et colores, et albedo corporum beatorum, quantumvis excellens, censebitur ejusdem speciei, quia eodem modo immutat visum. Antecedens proba-

tur, quia lux illa gloriosa videtur ab oculis eodem modo, sicut alia lux, ita quod videntes illam judicant de illa sicut de luce, et splendore, quem apud nos videmus, qualis est lux solis, licet illa excellentior judicetur, sicut etiam magi videntes stellam fulsisse supra alias stellas, judicaverunt de illa sicut de alia luce, licet illam excellentiorem viderent; alias si magi videndo stellam, non immutaretur eorum visus ab illa, ut luce ejusdem specie, et vera, ac propria, et oculi videntes lucem corporum beatorum, non judicarent de illa sicut de alia luce, non possent affirmare, quod illa esset lux, nec nobis declararent quid esset, nominando lucem, si non perciperent illam tamquam lucem veram, et similem nostræ. Alias etiam colores, qui erunt in corporibus beatorum, poterit aliquis dicere, quod non erunt ejusdem speciei cum nostris, quod nullus dicet, quia eodem modo immutant visum sicut nostri, sed etiam lux illa beatorum eodem modo visum immutat, sicut nostra; ergo est ejusdem speciei.

LV. Quod autem oculi, etiam non gloriosi videant illam lucem patet, quia Apostoli viderunt lucem Christi in transfiguratione; Paulus quoque vidit lucem corporis Christi gloriosi, vidit enim ipsum in se sicut ipse testatur i ad Corinth. ix: *Nonne Dominum Jesum ego vidi?* Et cap. xv: *Novissime tamquam abortivo visus est et mihi.* Loquens autem de illa visione ipsemet Paulus Actorum xxvi, dixit ad Agrippam regem: *Die media vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui mecum simul erant.* Vidit etiam Joannes Apocalyps. i, cum dixit: *Et facies ejus sicut sol, cum lucet in virtute sua.* Videbunt denique omnes reprobi in die judicii, juxta illud Apocalypsis ultimo: *Videbit eum omnis oculus, et qui*

*cum pupugerunt.* Et Sapientiae v, de damnatis videntibus gloriam electorum dicitur: *Videntes turbantur timore horribili.*

LVI. Respondet Ægidius ubi supra art. vii, §. iv ad quintum, damnatos non visuros lucem Christi, neque sanctorum, sed majestatem: Apostolos non vidisse lucem in transfiguratione; aut si viderunt, ad illam videndam elevati sunt sicut et ipsi reprobi elevabuntur, si eam videbunt. Cæterum hæc solutio, absque fundamento dicitur, et solum ad sustentandam illam opinionem inventa videtur. Nam Apostolos vidisse illam lucem dubitari non potest, cum de illa glorificatione, et transfiguratione testimonium perhibuerint; transfiguratio autem in clarificatione illa posita fuit. De Paulo Apostolo est fides expressa, cum ipsemet dicat: *Vidi de caelo supra splendorem solis.* Splendor autem ille superans solem, non potuit ejaculari, nisi a corpore Christi, quem tunc Paulo apparuisse fides etiam docet. De reprobis quod videbunt judicem in illa summa majestate, Scriptura testatur, et Ægidius admittit. Majestas autem illa maxime constat ex illa admirabili coruscatione corporis refulgentis: alioquin quomodo de illa inæstimabili gloria torquebuntur, si non videbunt eam, quæ maxime in illa claritate manifestabitur. Elevari vero oculos omnium eorum, qui illam claritatem viderunt, aut visuri sunt, nescio quo fundamento dicat Ægidius, nisi quia præsupponit non posse illam lucem videri oculo non glorificato, quod est petere principium. Et quid est illa elevatio? Certe debet esse alicujus luminis, seu virtutis supernaturalis infusio in oculis, ut proportionentur luci illi gloriosæ, quod est perinde, ac glorificari oculos. Quis autem sibi persuadeat, reproborum oculos tam

decore lumine, et supernaturali dono fore afficiendos? Quomodo item oculi Apostoli Pauli manserunt nihil videntes, quasi ex nimia luce, si non propria virtute, sed elevata illa viderunt?

LVII. Quare non subsistente tam futili solutione, et sine fundamento, redeundum est ad fundamentum D. Thomæ quod solidum stat: colligit enim lucem illam esse ejusdem speciei cum nostra, quia eodem modo nata est movere visum naturalis ordinis, scilicet nostrum, sicut lux nostra; alias si non eodem modo moveret, non judicarent qui illam viderunt esse lucem quamvis majorem, et excellentiorem solari, sicut stella, quæ apparuit magis vere, et proprie judicabatur lucere, licet lux illa esset major luce solis, juxta quod Ecclesia canit, in festo epiphaniæ: «Stella quæ solis rotam vincit decore, et lumine.» Propria autem, et intima formalitas, qua discernitur specifica ratio, et naturalis species lucis, est ex specifico modo immutandi sensum naturalem visus, quia istæ qualitates sensibiles inde a nobis discernuntur; quod enim naturalem visum eodem modo immutat, eandem naturalem speciem habet: sicut omnem albèdinem dicimus esse ejusdem speciei, quia eodem modo movet visum, id est, disgregando.

LVIII. Indicia autem quibus movetur alia sententia ad judicandum esse lucem alterius speciei sunt multo debiliora, et valde extrinseca. Primo, inquit, quia est lux illa supernaturalis quoad substantiam, sicut aliæ dotes gloriosæ. Cujus signum est, quia solum fit ab auctore supernaturali, et a gloria animæ, quia nulli corpori, seu enti naturali connaturalis est, quia elevat corpus humanum ad statum supernaturale gloriæ, quia in Scriptura vocatur claritas Dei, Apoca-

lyps. xxi, et configurat nos claritati corporis Christi, quod totum nulli naturali luci convenire potest. Secundo, quia species lucis, quam videmus est in summa sua perfectione in sole. Illa autem claritas beatorum est supra splendorem solis, ut Paulus dixit de splendore corporis Christi, Actorum xxvi, ergo etiam est supra ejus speciem. Tertio, quia habet proprietates longe diversas a nostra luce; nam lux beatorum potest lucere, tam in corpore denso, quam raro; tam in opaco, quam transparenti, quod non potest lux solis. Et sic potest actuare corpus perfecte opacum, et transparentiam altioris ordinis, qualis est diaphaneitas corporis gloriosi, quod lux solis non potest. Denique lux solis calefacit, et offendit visum, claritas gloriæ demulcet, et suavizat.

LIX. Ad primum dicitur ex D. Thoma, citata quæstione lxxxv, artic. ii ad primum, quod claritas beatorum est alterius generis, seu supernaturalis, quam claritas naturæ quantum ad causam suæ speciei, non quantum ad suam speciem; causatur enim ab auctore supernaturali, modo supernaturali; sed tamen res causata speciem naturalem habet, id est, proportionatam visui naturali, inde enim naturalitas ejus discernitur: sicut homo resuscitatus, et oculus cæco restitutus, naturalem speciem habent, licet a solo Deo auctore supernaturali fiat suscitatio mortui, et restitutio cæci. Similiter illa lux sic data, et ita accidentaliter perfecta nulli corpori est connaturalis, licet species illius lucis alicui corpori connaturalis sit, sed non in eo statu, neque in ea perfectione. Elevat etiam corpus ad ordinem gloriæ, non ratione suæ speciei præcise, sed ratione perfectioris modi, et status quem habet, sicut etiam color, odor, et

dispositio corporis gloriosi ad statum supernaturalem pertinent, licet in se sint naturalis speciei. Aliæ autem dotes corporis non sunt etiam supernaturales quoad substantiam, quia non sunt immediate participationes divinitatis, sicut gratia, et gloria, sed sunt supernaturales corpori corruptibili, et gravi, quia in nullo inveniuntur, non tamen in se supernaturales sunt, quia similis speciei inveniuntur in aliis corporibus, ut velocitas, seu agilitas in Angelis, in avibus, etc. impassibilitas in cælis, etc. Dicitur etiam claritas Dei, et configurare claritati corporis Christi, quia a solo Deo auctore supernaturali mediante gloria animæ causatur in eo statu, et perfectione quam habet, tam in corpore Christi, quam in aliis ei configuratis.

LX. Ad secundum dicitur, claritatem illam esse intensive, et accidentaliter majorem luce solis, non specificè. Licet autem lux solis fit in summa perfectione, et intensione, quam naturaliter petit illa species, non tamen in omni perfectione, et intensione, quam obedientialiter potest habere. Multo enim magis potest Deus qualitatem aliquam perficere quam natura.

LXI. Ad tertium dicimus omnia illa non pertinere ad specificam substantiam lucis, quæ sumitur ex proportionem, et commensurationem ad visum naturalem, sed esse accidentales lucis perfectiones, ut quod non calefaciat, et offendant, sed demulceat visum. Quod autem per opacum transeat illa lux incertum est, de quo mox dicemus. Bene tamen concedo quod illam tantam claritatem aspectus noster ferre non potest propter infirmitatem suam, quod S. Augustinus notavit xxii de civitate, cap. xix, et in Paulo Apostolo patuit qui post illam tam grandem lucem apertis oculis nihil vi-

debat, Actorum IX, sed hoc non est, quia illa lux secundum suam speciem non sit proportionata, et videatur de facto, licet debiliter, sicut videtur a nobis lux solis, seu quia forti attentione eget tam vehemens visibile, et tanta attentio spiritus vitales seu animales consumit, et sic non valet videri multa attentione, sed absolute videtur.

LXII. Major difficultas est, quomodo tanta claritas, seu lux compatiatur cum veris coloribus corporis humani; quomodo etiam ejaculari possit radios lux illa si corpus est transparentes, quia ejaculatio fit a corpore addensato, et terminato; color etiam est extremitas perspicui terminati, lux autem perspicui non terminati, ut dicitur in libris de anima; non ergo compatiuntur color, et lux in eodem subjecto. Difficultas etiam est quomodo fit transparentes, et opacum illud corpus, cum hæc sibi adversentur, non potest autem ab illis corporibus opacitas auferri cum sit proprietas eorum naturalis, sicut gravitas, et densitas. Nec potest lux emitti a corpore transparenti, nisi aliquo opaco terminetur, ut videmus in aere, qui non ejaculatur radios quia rarum, et transparentes est.

LXIII. Ad hæc non difficilis est responsio. Dicimus colorem, et lucem non repugnare, nec transparentiam et densitatem, ac simul lucem. Nam videmus gemmas aliquas vivacis coloris, aut transparentiam, et tamen ejaculari radios, sicut smaragdi, pyropi, vitra colore picta, aut tineta, et ad radios solis exposita. Adamas etiam est diaphanum, et adhibita candela, vel soli expositum radios ebibit, ut ejaculetur. Et dicuntur lapides pretiosos inveniri, ut carbunculi, qui tenebras noctis suis radiis illustrent. Verum est in his lapidibus modicam lucem inveniri cum illis colo-

ribus, aut transparentia. Sed hoc facit divina virtus, quod abundantem lucem conservat cum coloribus aut transparentia, quod natura non facit. Definitiones vero coloris, et lucis non obstant, quia color non dicitur extremitas perspicui terminati, quasi solum sit in superficie rei opacæ, cum etiam in vitro, et in transparentibus lapillis, colores videamus, et in ipsis corporibus opacis certius est colorem etiam intra superficiem esse, licet ut manifestetur indigeat terminari in extremitate superficiem. Dicitur autem extremitas perspicui terminati, quia calor ex attentatione diaphaneitatis mixtæ cum aliqua opacitate resultat, quasi extremitas sit ipsa ultimatior, et attenuatio perspicui, ut late in libris de anima explicavimus. Quæ mixtura, et attenuatio in qualitate coloris non repugnat cum transparentia, et luce ipsius corporis, ut exemplis ostensum est.

LXIV. Ad illam difficultatem de opacitate, et transparentia, et quomodo lux emitti possit, nisi aliquo opaco et denso corpus terminetur, respondetur in primis non esse idem, seu discerni debere densum ab opaco, densum enim opponitur raro; opacum diaphano. Et constat multa diaphana esse densa, ut vitrum, crystallum, adamantem, cælum, etc. Sic ergo stat bene corpus beati manere in sua densitate, in qua antea, licet quædam partes sint densiores aliis, ut ossa quam carnes, et tamen accipere transparentiam, seu diaphaneitatem. Sed debet tunc amittere opacitatem, quam habebat in hac vita; hæc enim non est proprietas corporis humani in quocumque statu, sed in statu, in quo est crassius, et imperfectius, sicut in hac vita, et in damnatis. In statu autem resurrectionis, in quo est omnino purum, et defæcatum, et subtile, non petit

opacitatem licet maneat cum densitate, quia per subtilitatem non redditur rarum, sed purum. Videmus autem quod non est repugnancia in corpore humano ad diaphaneitatem, quia cutis ipsa est tersa, et transparentes, intus vero caro ipsa plena est sanguine, qui etiam perspicuus reddi potest, ossa vero, nervi, cartilagine, caro, et aliæ partes densiores removebuntur ab opacitate, subtilizato impuro terrestri, et addita per virtutem divinam diaphaneitate. Et licet apud nos id quod est plene luminosum non sit simul transparentes, quia multitudo lucis occupat transparentiam, nec permittit visum introspicere, ut in sole, et luna, et igne videmus, ideoque p. Suarez II tomo ad tertiam partem, disp. XLVIII, section. II, dixit corpora gloriosa simul esse diaphana, et lucida, sed non utrumque actum simul exercere, sed quando actu lucent non transparentes, vel e contra; tamen oppositum verius est, ut notat Ægidius supra, articulo III, §. III, et in idem reducitur Suarez, et constat ex D. Thoma in additionibus, q. LXXXV, art. I ad secundum.

LXV. Et hoc ideo, quia illa claritas est ex causa superiori, scilicet, ex gloria animæ, et a Deo auctore supernaturali, qui utrumque exercitium conjungit diaphaneitatis, et illuminationis, quæ inter se non sunt contraria; lux enim in diaphano recipitur, ut in crystallo, licet infirmitas nostri visus in multitudine lucis turbetur, ne penetret perspicuitatem luminosi. Et similiter potest corpus in se pervium, et transparentes ejaculari radios, quando in se luminosum est, et intra se habet causam lucis, sicut corpus beati habet intra se gloriam animæ, quæ informando omnes partes corporis, illis communicat lucem, et inde eam ejaculatur non obstante diaphaneitate, quia non venit lux ab

extra, ut transeat per illud diaphanum, sed ab ipsomet corpore cum anima causatur, et oritur.

LXVI. Ultimo inquirens, an claritas illa corporis gloriosi immediate causetur a gloria animæ physice; an immediate a Deo, licet ad præsentiam gloriæ animæ. Respondetur D. Thomam constanter tenere, quod derivetur a gloria animæ, non solum (sicut supra id diximus) generaliter de omnibus dotibus, sed specialiter loquendo de claritate id docet III p. q. XLV, a. II, et quæst. LIV, art. II ad tertium. Et in hac prima secundæ, q. IV, art. VI, in additionibus, quæstion. LXXXV, articulo primo, et in IV, contra gentiles, cap. LXXXVI. Refragantur aliqui, ut Suarez II tomo in tertia parte, disputation. XLVIII, section. II; Salas, Valentia, Angles, et alii, quos sequitur Ægidius III tomo, libr. V, quæstion. IV, articulo III, in tantum quod D. Thomas sententiam non satis probabilem reputat. Eo fundamento ducuntur, quia inter claritatem gloriæ, et lucem corpoream nulla est per se connexio, ut hæc dicatur proprietas illius, ab eaque emanare. Et deinde, quia in Angelis visio non habet hanc proprietatem producendi lucem; ergo nec in anima.

LXVII. Leve argumentum ad elevandum tantum pondus sententiæ D. Thomæ quæ non modo satis est probabilis, sed omnium probabilissima. Nam in primis (ut supra ponderavimus) hoc est conformius verbis Augustini supra relatis ex epistola LVI ad Dioseorum: « Tam potenti natura fecit Deus animam, ut ex ejus beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, et incorruptionis vigor. » Qua ratione autem dimanat in corpus incorruptio, etiam claritas dimanare potest, quia sicut connectitur cum beatitudine animæ impassibilitas, ita et claritas; utrumque enim pertinet ad

statum, et ornatum gloriæ. Congruum autem est, ut sicut anima ex naturali statu petit, ut ab ea deriventur in corpus et facultates sensibiles, et ornatus vitalis, ita ex supernaturali statu gloriæ derivetur ornatus corporis gloriosus, ut corpori unito animæ nihil, nisi per animam, concedatur. Ad hæc, nulla est repugnantia, neque implicatio, quod spirituali naturæ concedatur vis producendi lucem corporalem. Quare ergo neganda est animæ gloriosæ, quæ ad tam potentem statum sublimatur? Præsertim cum hoc sit conformius dictis Augustini, quæ oppositi auctores improprie explicant dicendo, quod illa redundantia non fit proprie a beatitudine animæ, sed a Deo intuitu beatitudinis animæ, quod est in re, et proprie non esse ab anima, quod est contra Augustinum.

LXVIII. Antecedens autem probatur; tum, quia frequenter ab Angelis tam bonis, quam malis legimus lucem corporalem esse productam; Daniel. x dicitur de Angelo apparente Danieli in corpore assumpto: *Corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus, ut lampas ardens*: Matth. xxviii de Angelo apparente mulieribus, dicitur: *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur*: Actorum xii: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris*: Apocalyps. x, de Angelo descendente de cælo: *Facies ejus erat ut sol* et cap. xvii: dicitur de alio Angelo: *Et terra illuminata est a facie ejus*. De Gabriele quoque Archangelo, cum Beatissimæ Virgini incarnationem Filii Dei annuntiavit, canit Ecclesia: *Nuntians ei Verbum, et expanscit Virgo de lumine*. Frequens ergo est Angelos cum lumine apparere, imo et Satanas transfiguratur se aliquando in Angelum lucis, ut nquit Apostolus ii ad Corinth. xiv.

Et in multis historiis legitur, dæmones aliquando cum luce apparere in corporibus assumptis. Unde non potest dici, quod ista lux non producat ab ipsis spiritibus, sed a Deo ad nutum ipsorum; tum, quia verba Scripturæ significant ab Angelis procedere, ut cum dicit de illo Angelo: *Quod illuminata est terra a claritate ejus, et quod facies alterius Angeli erat sicut fulgur*. Nec fas est ad improprios sensus detorquere Scripturam, et inconueniens esset, quod Deus ad nutum, et voluntatem diaboli producat lumen, quando ipse vult decipere, et transfigurare se in Angelum lucis, si hoc non est ei connaturale, et proprium.

LXIX. Si autem dicatur non produci istam lucem immediate ab Angelo, sed applicando activa passivis, sicut in nube fit lux fulguris ex accensione exhalationum, contra est, quia ista lux facta ex tali applicatione ad summum potest esse ignea, quia nullum est corpus inter elementalia, quod plus luceat quam ignis. Splendor autem, et lumen quod faciunt Angeli excedit flammam igneam, et aliquando est sicut sol, ut Apocalyps. x: *Facies ejus erat ut sol*, loquens de Angelo sibi apparenti; ergo illa lux non fit solum applicando activa passivis. Et post diem iudicii non fiet ista alteratio ex passivis, et activis, et tamen Angeli lucere poterunt. Postremo vis producendi lucem non est tam excellens, quod non possit spiritui communicari, præsertim ratione gloriæ, quia multam habet analogiam lux intellectualis, et intelligibilis ad lucem visibilem, quæ magis nobis exprimit vim intelligibilis hominis. Communicari ergo potuit animæ gloriosæ, et sic decens fuit, ut ei concederetur, ut modo magis connaturali ornamenta, et facultates corporis ab anima descenderent.

LXX. Motiva oppositæ sententiæ

nullius sunt momenti. Ad primum negamus, non esse connexionem inter visionem gloriæ, et claritatem corporis; est enim tanta connexio inter supernaturalem statum gloriæ animæ, et statum gloriosum corporis, sicut inter naturalem statum unius et alterius, quia totum quod in corpore est, ut proprium ipsius, ab anima provenire debet. Et sic visio gloriæ non absolute, sed ut dicens ordinem ad resurrectionem

corporis, cui unienda est anima, habet ex concessione Dei corpus unitum sic elevare, et perficere. Ad secundum negatur Angelis non convenire hanc proprietatem producendi lumen, ut in dictis exemplis apparet; imo ipsos influere lucem in cælum empyreum, multorum sententia est, quam in secundo tomo prima parte, ad quæstion. LI et LII secuti sumus.